



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)



PRIMA PARS
 CLYPEI
 THEOLOGICÆ
 THOMISTICÆ.

DE DEO VNO, TRINO,
 & Angelorum Creatore.

PRÆFATIO.



On immeritò D. Thomæ Summa Theologica, cum eo fonte conferri solet, quem in medio Terrestris Paradisi, initio mundi Deus collocaverat, ut univèrse terre superficiem, nullis adhuc imbribus, nullis aquis fecundatam, irrigaret. Vt multa præteream, quæ utriusque collationem illustrare plurimùm possent; acute dixit Rupertus Abbas, aquas, ut existimavit, naturâ salsas (quod, inquit, mare in seipso ostendit) in illâ quasi magni corporis mammâ, id est Paradisi fonte, quodammodo lacteam assumere dulcedinem, eâque dulcedine imbutas, detersâ salsedine innoxias, tum Paradisum irrigare; cæteraque flumina, quæ post varios tractus, ut inquit Augustinus, & per occultos meatus, aliis locis erumpunt; ab eo Paradisi fonte, primam originem; ab ea Paradisi mamma, omnem dulcedinem trahere. Scire aves (Amice Lector) quo nomine nuncupanda sit D. Thomæ Summa, aut quid in re litteraria, & Theologica contulerit? Citra cuiusque injuriam dixeris, Ecclesiæ, quam Paradisus adumbrabat, perennem fontem esse, magni illius corporis mammam, in qua injucunda, insalubres etiam aliquando, cum olim errorum permixtione, veluti salsedine perfunderentur, aqua sapientiæ, dulcedinem trahunt, & periculò carent. Vbicumque innoxie fluunt, etsi variis flexibus, per occultos meatus, & procul à conspectu positos, quantum conari possunt, longius deducant qui suos alveos implent; quidquid tamen dissimulent ab ea fluminum fecundâ scaturigine, & dulcedinis mammâ, originem & dulcedinem trahunt: cum à Summa D. Thomæ Theologica, quacumque in scholis scire interest, & periculò carent, quæque fidei majestate digna sunt, & Mysteria Religionis illustrant, ut à suo fonte deprompta sint: ut non immeritò D. Thomæ Summam ditiozem putes, toto, licet immenso Theologia Oceano, quem effusis undis perennis illè fons implet, etsi tamen exhauriri nunquam aut decrescere possit. Nam verissimè illud in D. Thomæ Summam referre licet, quod de Paradisi fonte Claudius Marius Victor canit lib. 1. in Genesim.

Lib. 2.
 de operibus
 Trinit.
 cap. 27.

Lib. 8.
 de Genesi ad
 litt. c. 7.

Quadrifido tumidum latus caput amne resolvens,
 Ditiore Oceano; jugi nam gurgite pronus
 Ille suos donat latices, iste accipit omnes,
 Nec turget tamen: at minor est qui crescere tantum
 Fluctibus infusus, quam qui decrescere nescit
 Amnibus effusus.

PRÆFATIO.

Verum præter hanc D. Thomæ Summæ dotem, & primam cum Paradisi fonte collationem, altera est nihilo minor, quâ D. Thomæ Summam, cum Paradisi fonte conferre solent, qui divisionem Summæ in suas partes instituunt; quod ut in quatuor capita, seu quatuor flumina, Paradisi fons dividebatur, quibus univèrsæ terræ superficiem irrigaret; ita Angelici Doctoris Summa, in quatuor partes divisa sit, quibus Christianus orbis irrigatur, ut meriti in huius Divi commendationem, præter cætera, illud Ecclesia canat, FIT PARADISI FLUVIUS, QUADRIPARTITE PERVIUS. Et ne divisionem satis obviam, & apud omnes frequentem, multis prosequar: in prima parte agit S. Doctor de Deo Vno, Trino, & Creatore Angelorum, & Hominum, ac de aliis operibus sex dierum. In secunda Deum ultimum finem contemplatur, quæ, ne in nimiam molem excresceret, in duas iterum partes dividitur. In prima, quæ Prima secundæ (id est prima pars secundæ partis) appellari solet, agit de Deo ut ultimo fine, ac de mediis in communi, intrinsicè, & ex natura rei ad illum consequendum necessariis: videlicet actibus humanis, legibus, & gratiâ. In altera verò, quæ Secunda secundæ, (id est secunda pars secundæ partis) nuncupatur, disputat de iisdem mediis in particulari: scilicet virtutibus Theologicis & Moralibus. In ultima tandem parte, tractat de mediis extrinsecis, & ex institutione solum divina, ad æternam beatitudinem consequendam necessariis: nempe Incarnatione, & Sacramentis. Quid in re Theologica iure desideres, quod non aliquâ harum partium reperire sit? Quod de Scriptura sacra solent inter Patres plurimi, Theologiam summâ necessitudine & affinitate coniunctam Paradisum esse interpretari licet. Sed minimè te deceptum putem (Amice Lector) si huius Paradisi largissimum fontem, quò virtutes pululent, quò præcepta germinent, quò bonos fructus arbor vitæ ferat (ut Ambrosij verbis utar dum Scripturam sacram Paradisum interpretatur) D. Thomæ Summam dixeris; & quæ ut latè circum aquas omnes effundat,

Lib. 6.
epist.
41.

Quadrifido tumidum lætus caput amne resolvit
Ditior Oceanò.

Mihi sane non alium fontem querendum puto, quò sciendi cupidinem, & ingenij stim extinguam; nec alia mihi tentanda via est, & Theologiæ nostræ divisio: quatuor huius Paradisi fontis ingentia flumina enavigabo, eandemque D. Thomæ methodum, quantum quidem vires ferent, pressis vestigiis sequar; & in hac prima parte, quam exponendam, & contra Novos eius impugnatores defendendam suscipio: Primò disputare aggrediar de existentia, unitate, naturâ Dei; de attributis ad esse divinum pertinentibus, & de visione beata. Secundò de scientia Dei. Tertiò de eius voluntate & Providentia. Quartò de Prædestinatione & Reprobatione, earumque cum libertate concordia. Quintò de Trinitate. Sextò & ultimò de Angelis. Etsi verò non tantùm mihi tribuam, ut in fontem aquas me attulisse existimem; unum tamen forsitan affecutus sum, nisi me Amici fallunt, & impensius laudant, quod capite 10. Esther legitur, fontem in lucem converti, & brevitatem ita claritate compensari, ut si quæ longiores disputationes sint, brevissimò temporis spatio decurras, adeo ut in longioribus, nec prolixitatem ullam iure accuses, nec brevitatem desideres. Ceterùm postquam D. Thomæ Summam cum Paradisi fonte contuli, benignè feres (Amice Lector) si Scholam Thomisticam, terram Hevilath dixerim, quam primum fons ille alluit, & quæ tam felicibus aquis irrigata, auro, gemmis, aliisque divitiis abundat. Sua equidem cæteris scholis laus est, & singularis commendatio, quam nec invidio nec præripio; sed mihi crede, nunquam veriùs dictum, quam de Schola Thomistica, in quam primum sese fons ille effundit, Et aurum terræ illius optimum. Vale.

TRACTATUS